

« An Clerici, qui Decreto Concil. cap. 6. sess. 23. privilegio Fori privantur, intelligantur etiam privati privilegio Canonis? Die 16. Octob. 1581. Sac. Congr. censuit non intelligi esse privatos. » (48. Unde percipiens huiusmodi Clericum incidit in Excommunicationem Canonis; Fagnan. in cap. Si quis 1. de Foro compet. a n. 72 usque in finem, Garcias de Benefic. part. 2. cap. 2. num. 10. Belletus Disquisit. Clerical. part. 1. tit. de favore Clericor. § 8. n. 22. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. Glossa 3. num. 7. cum seq. Aloysius Riccius in praxi rerum Fori Ecclesiastici decis. 607. in 1. edition. et part. 1. resolut. 551. n. 3. Portel in dub. Regular. verb. manus violentæ; Barbosa part. 2. de Offic. et potest. Episcop. alleg. 12. num. 32. et lib. 1. Juris Ecclesiastici c. 39. § 2. num. 3. citans plures alios. Et ratio est quia Tridentinum circa hoc nihil innovavit, nec Juri communi derogavit, ut observat Clar. §. fin. q. 36. num. 19. et Barbosa loc. cit. De Jure autem communi omnes Clerici gaudent privilegio Canonis; c. Si quis suadente Diabolo 29. caus. 17. q. 4. Si enim Concilium in d. sess. 23. c. 6. voluisset comprehendere ultra privilegium Fori etiam privilegium Canonis, etiam illud expressisset, prout in simili argumentatur Pontifex in c. Inter corporalia, §. sed neque, de translatione Episcop. et cap. Ad audientiam 12 de decimis. Tum quia non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori; l. Præcipimus, Cod. de appellat. et l. Si vero, §. de viro ff. soluto matrimonio, ubi Summarius ex Bartolo sic habet: Provisio legis contra jus commune non extenditur ultra id, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio. Cum legum correctio veluti odiosa, quantum fieri potest evitanda sit; c. Cum expediat 29. de elect. in 6. ex Reg. 15. Juris in 6. Odiā restringi, et favores convenit ampliari. (49. Quænam autem personæ gaudeant tali privilegio Canonis, et quænam censeantur illud violare, et Excommunicationem incurere; vide verb. Excommunicatio art. 10. 11. et 12. ubi late de omnibus ad hoc facientibus.

(50. Privilegio Fori, et Canonis gaudent nedum Clerici cælibes, sed etiam Clerici conjugati in Minoribus existentes; c. Clerici unic. de Clericis conjugatis in 6. ibi: « Clerici qui cum unicis, et virginibus contraxerunt, si Tonsuram, et vestes deferant Clericales, privilegium retinent Canonis ab Innocentio Papa II. Prædecessore nostro editi in favorem totius Ordinis Clericalis. Et cum juxta Parisiense Concilium nullus Clericus distringi, aut condemnari debeat a Judice Sæculari, præsentem declaramus edicto, huiusmodi Clericos conjugatos pro commissis ab eis excessibus vel delictis, trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad Judicium sæculare, nec ab ipsis sæcularibus Judicibus eos debere personaliter, vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur), nullatenus condemnari. » Et Concil. Trid. sess. 23. c. 6. de reformat. ibi: « In Clericis vero conjugatis

servetur Constitutio Bonificii VIII quæ incipit: Clerici qui cum unicis, modo hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, et Clerici habitu, et Tonsura utantur, nemini quoad hoc privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante. » (51. Ad hoc tamen, ut gaudeant his privilegiis, debent habere tres conditiones. Prima, ut huiusmodi Clerici cum unica, et virgine contraxerint, ut expresse habetur ex citat. cap. Clerici unic. de Clericis conjugatis in 6. alioquin forent bigami, qui sunt nudati omni privilegio Clericali; c. Altercation. unic. de bigamis in 6. ibi: « Bigamos omni privilegio Clericali declaramus esse nudatos. » Secunda, ut deferant Tonsuram, et vestes Clericales; cit. c. Clerici, et Concilium Tridentinum loc. mox adducto. Tertia, ut tales Clerici alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, ut expresse fuit de novo statutum a Concilio Tridentino dict. sess. 23. c. 6. de reformat. ut patet ex ejusdem verbis supra relatis. Nota tamen, quod etiamsi Clericus Ecclesiæ alteri a designata ab Episcopo inserviat, adhuc tamen gaudet privilegio fori, ut a Sacra Congress. decisum refertur in Tract. de Synodo diocess., lib. 6. c. 69. n. 3. (52. Clerici conjugati ad hoc, ut gaudeant his privilegiis, debent habere copulative omnes tres supradictas conditiones, quarum una deficiente, nullo prorsus gaudent privilegio Clericali, ut patet ex citat. cap. Clerici §. fin. de Clericis conj. in 6. ibi: « In cæteris autem vel nisi, ut præmittitur, Tonsuram, vel Vestes deferant Clericales, etiam in præmissis eos gaudere nolumus privilegio Clericali; » juncto Concilio Tridentino cit. sess. 23. c. 6. de reform. per ejus verba adducta supra sub n. 10. (53. Clerici conjugati habentes tres supradictas conditiones gaudent privilegio Fori, nedum in causis criminalibus, sed etiam in causis mere civilibus; quidquid dicant aliqui Canonistæ. Sic enim unanimi consensu Sacra Congreg. Immunitatis approbavit opinionem, quod Clericus conjugatus gaudet privilegio Fori, etiam in mere civilibus, in Caputaquen. 21. Junii 1644. lib. 3. decret. Pauluc. p. 214. (54. Et insuper eadem Sacra Congregat. Immunit. approbat formulam sententiæ promulgandæ per A. C. pro exemptione privilegii Fori Clericorum conjugatorum, additis tamen verbis tam in civilibus, quam in criminalibus, quam etiam in mistis. Caputaquen. 21. Junii 1644. lib. 3. decretat. Pauluc., p. 229. (55. Immo gaudent privilegio Fori in causis mere civilibus etiam non dependentibus a criminalibus. Sac. Congreg. Imm. in Bovin. 2. Julii 1630. l. 2. dec. Paul. c. 47. in Oppiden. 27. Septembr. 1631. ibid., p. 140. in ead. Oppid. 11. Septemb. 1634. ibid. pag. 201. et 6. Maji 1635. ibid. p. 219. in Squillacen. 19. Januar. 1638. lib. 3. decr. Paul. p. 13. in Rossanen. 13. Martii 1638. ibid. p. 57.

(56. Clerici conjugati non possunt conveniri coram Judice Laico. Sac. Congreg. Immunit. in Montis Casini 22. Decemb. 1694.

l. 1. dec. Vallem. p. 165. (57. Unde Clerici conjugati ad solutiones, ad quas de Jure tenentur, non possunt cogi nisi coram Judice Ecclesiastico. Ead. Sac. Cong. Imm. in Rossanen. 23. Mart. 1638. lib. 3. Decret. Pauluc. pag. 57. in Nasaret. 15. Jun. 1638. ibidem pag. 64. (58. Clericum conjugatum carcerantes excommunicantur. Ead. Cong. Imm. in Hydruntina 18. Dec. 1694. lib. 1. Dec. Vallem. p. 164. (59. Clericum conjugatum Episcopus tueri debet, ne vexetur a Curia Laica. Ead. S. C. in eadem Hydruntina 27. Nov. 1694. l. 1. Decr. Vallem. p. 199. in Bisignanen. 15. Nov. 1694. l. 3. Decr. Vallem. p. 628. (60. Invocato etiam, quatenus opus sit, brachii sæcularis auxilio. Ead. Sac. Cong. Immunit. in Nucerna 9. Feb. 1694. lib. 1. Decr. Vallem. pag. 195. (61. Clericus conjugatus, Indulto Apostolico dispensatus ab obligatione incedendi in Habitu, et Tonsurâ, gaudet privilegio Fori. Ead. Sac. Cong. Immunit. in Fulginaten. 18. Octobris 1679. lib. 2. Decret. Altovit. pag. 1691. Clericus conjugatus habens omnia requisita, excepto quod non constat de deputatione ad servitium Ecclesiæ certæ, et particularis, inserviens tamen Ecclesiæ in genere, gaudet privilegio Fori. Ead. Sac. Congr. in Anconitana 24. Maii 1601. lib. 3. Decret. Vallem. pag. 3. (62. Clericus conjugatus exercens artem mercariam cum mensuris fraudulatis puniendus est ab Ordinario. Ead. Cong. in Firmana 17. Decemb. 1695. lib. 1. Decret. Vallem. pag. 135. (63. Clericus conjugatus, qui post fugam a Tirremibus, ad quos a suo Episcopo damnatus fuerat ad septennium, ob nova delicta carceratus fuit a Curia Laica, remittendus est Episcopo, qui postea remitti faciat ad Tirremes. Et cum Sanctissimo pro novis delictis, si de illis sufficienter constiterit, ut puniatur pœna Tirremium ad vitam. Ead. Congregatio in Milevitana 15. Decembr. 1643. lib. 3. Decret. Pauluc. pag. 216. (64. Subdiaconum, qui in vim dispensationis Apostolicæ cum Vidua Matrimonium contraxit, et pensiones Ecclesiasticas obtinet, de Jure gaudere privilegio Fori, tenet Sellius in Selectis Canonicis c. 18. n. 29. attestans ita fuisse decisum sub die 7. Septemb. 1618. (65. Clericus conjugatus gaudet exemptione ab oneribus personalibus, et aliis de consuetudine competentibus. Ead. Sac. Cong. Immunit. « in Lycien. 28. Maji 1626. lib. 1. Decret. Pauluc. p. 1. in Neritonen. 17. Januar. ejusdem anni 1626. ibid. pag. 80. in Anglonen. 18. Jun. ejusdem anni 1626. ibid. pag. 4. in S. Severinæ 19. Apr. 1627. ibid. pag. 46. in Squillacen 27. August. 1627. ibid. pag. 64. in Laquedonen. 22. Jul. 1630. lib. 2. Decr. Pauluc. pag. 51. In Oppiden. 11. Septemb. 1634. ibid. pag. 201. » (66. Clericus conjugatus est exemptus ab onere capitacionis tanquam mere personali, etiamsi exercent aliquam artem, dummodo non sordidam, sed honestam. Ead. Sac. Cong. in « Oppiden. 21. Novemb. 1635. lib. 2. Decret. Pauluc. pag. 238. in Squillacens. 19. Januar. 1638. lib. 3. Decret. Pauluc. pag. 53. in Tridentina 18.

Novembr. 1685. lib. 1. Decret. »

(67. Non gaudent tamen Clerici conjugati exemptione ab oneribus realibus, nisi succedant loco personalium, vel adsit consuetudo ad eorum favorem. Ead. Sac. Congr. Immunit. in Aprutina 6. Mart. 1631. lib. 2. Decret. Pauluc. pag. 218. (68. Sic Clerici conjugati non gaudent exemptione a solutione Collectarum, nisi adsit consuetudo contraria. Ead. Sac. Cong. « in Aquilana 15. Septemb. 1627. lib. 1. Decr. Paul. pag. 65. in Camerinen. 28. Septemb. 1694. lib. 1. Decret. Vallem. p. 84. » (69. Nec Clerici conjugati sunt exempti, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, ab impositione taxæ, quæ non sit onus personale. Ead. Sac. Cong. in Cathacen. 19. Novemb. 1641. lib. 3. Decret. Pauluc. p. 160. (70. Sic Clerici conjugati non sunt exempti ab oneribus etiam mixtis non concurrente consuetudine legitima ad eorum favorem. Ead. Sac. Cong. in Cassanen. 28. Jun. 1644. lib. 3. Decret. Paul. pag. 232. Unde Clerici conjugati, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, de Jure communi non gaudent exemptione ab hospitalione Militum, cum sit onus mixtum. Ead. Cong. in Oppiden. 23. Augusti 1633. lib. 2. Decr. Paul. p. 169. (71. De jure enim communi Clerici conjugati nullo gaudent privilegio Clericali in rebus, seu bonis suis, ac proinde sicut alii uxorati tenentur præstare consuetas exactiones, seu collectas, et tributa. Ita textus in cap. Clericis unic. de Clericis conjugatis §. fin. in 6. ibi: « In cæteris autem... (id est præter casus enumeratos) eos gaudere nolumus privilegio Clericali. Idipsum habetur cap. ex parte 9. de Clericis conjugatis, ibi: « Cum igitur reddenda sint, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo, æquanimiter duximus tolerandum, ut a talibus justitias debitas, velut ab aliis uxoratis exigas, et servitia consuetæ. » Et in ejus Summario sic præcise dicitur: « Clerici conjugati in rebus suis non gaudent privilegio Clericali. » Ubi Abbas, Joan. Andreas, Barbosa, et alii communiter. (72. Sic Clericus conjugatus non habens requisita cap. unic. de Clericis conjugatis in 6. non gaudet privilegio Fori. Sac. Congr. Imm. « in Civitatis Gastelli 20. Decemb. 1661. lib. Decret. Rocci p. 37. et in Reatina 13. Aug. 1704. l. 3. Decret. Vallem. p. 602. » (73. Unde Clericus conjugatus non incedens in Habitu, et Tonsura, imo exercens Officium Gubernatoris armorum, conventus in Curia Capitolina, ubi acquievit ad plures actus, sed postea petens gaudere privilegio Fori, remittitur a Sacra Congregatione ad eandem Curiam Capitolinam. Ead. Sac. Cong. in Romana 11. Jan. 1695. l. 1. Decret. Vallem. p. 167. (74. Clericus conjugatus habens servitium militare cum functionibus mere militaribus, et laicalibus, non retinet privilegia; cap. Unic. de Cleric. conj. in 6. Ead. Congreg. 10. Febr. et 26. Maji 1699. l. 2. Decr. Vallem. p. 222. (75. Clericus conjugatus non gaudet privilegio Fori, quando non incessit in Habitu, et Tonsura, aut fuit Capitaneus Militiæ, et incubuit mer-

caturæ. Eadem Cong. in *Assisten.* 28. Jan. 1681. l. 2. *Decr. Altov. p. 242.* (76. Clericus conjugatus nunquam incedens in Habitu, et Tonsura, nec inseruiens Ecclesiæ, et exercens artem ruralem, non gaudet privilegio Fori. *Ead. Sac. Congr. in Sabinen.* 13. Septemb. 1701. l. 3. *Decr. Vallem. pag. 379.*

(77. Clerici gaudent privilegio Fori de Jure Divino. Ita *Glossa in cap. Si Imperator* 11. dist. 96. *verb. Et discuti*; *Gloss. in cap. Quamvis* 4. *de censibus in 4. Verbo Divino*, ubi id probat allegando Leges Divinas. Hostiens. in *cap. 2.* et Baldus *ibid. de Majorit. et obedient. Abbas in cap. Ecclesia S. Mariæ* 10. *de constitutionibus num. 6.* Bellarminus *lib. 1. de Clericis cap. 29. et 30.* Fagn. in *cit. cap. Ecclesia S. Mariæ* 10. *de Constitut. num. 10.* et in *cap. Cum non ab homine* 10. *de Judic. num. 66.* Sperellus *decis. 37. Fori Ecclesiast. num. 1. et seq.* ubi allegat plures alios Canonistas, et Theologos et dicit hanc sententiam fuisse canonizata a Rota Romana in *dec. 10. n. 2. de consuetud. in antiquioribus*; Engel. *lib. 2. tit. 2. de Foro compet. n. 38.* Pirhing *lib. 1. tit. 2. de Foro compet. n. 107.* Reiffenstuel. *ibid. num. 201 et seq.* Marta *de jurisdict. par. 2. cap. 6. n. 1. et seq.* Julius clarus in *pract. crimin. § in fin. qu. 36. num. 2.* asserens post Alciatum in *cap. Cum non ab homine n. 2. de Judic.* et alios, hanc esse communem opinionem. Azorius *par. 1. instit. l. 5. cap. 12. q. 1.* Tannerus *tom. 4. Theol. Schol. disp. 1. qu. 4. dub. 6. n. 138.* Layman *lib. 4. Theolog. Moral. tract. 9. cap. 8.* et plures Theologi apud ipsum. Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. cap. 39. § 2. n. 5. et ibid. § 5. num. 3. et in Trident. sess. 25. cap. 20. de reform.* citans plures alios contra Covarruviam, Lessium, Medinam, Mollinam, et alios plurimos ab ipso Barbosa relatos *loc. cit.* (78. Et probatur primo ex Sacra Scriptura, tum veteri, tum nova. Genesis enim 47. *vers. 22.* sub Pharaone Ægypti Rege habetur, Sacerdotes, et Levitas exemptos fuisse a Jurisdictione Sæculari, et a lege solvendi tributa, et referetur in *cap. Non minus* 4. *de Immun. Eccl.* ubi idcirco graviter arguuntur plurimi Christiani Principes, « quod deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotum videatur, quam sub Pharaone, qui Legis Divinæ notitiam non habebat, ubi nota illa verba *Legis Divinæ.* » Et similiter colligitur ex *cap. ult. vers. 28. Levit. et ex cap. 3. Numer. vers. 10. et cap. 45. vers. 14. et 15. et ex 1. Esdrae cap. 7. vers. 24.* Idem habetur ex *Matthæi cap. 17. vers. 25. et 26.* ubi Christus se ipsum, et Petrum a tributo solvendo eximit, nam cum ab ipso exigeretur tributum, dixit Petro: « Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel census, a filiis suis an ab alienis? » et respondente Petro: « ab alienis, » subintulit Christus: « ergo liberi sunt filii. » Nomine autem filiorum intelliguntur omnes sacerdotes, et Clerici, qui, cum Christo, ac Dei servitio peculiariter dedicati sint, e familia ejus esse censentur. Non enim illa verba intelligenda sunt de exemptione solius Christi, ut veri Filii Dei, nam

statim jussit Christus, ut ad vitandum scandalum Petrus inventum in ore piscis staterem daret pro utroque; *Ut autem non scandalizemus eos da eis pro me, et te*; adeoque uterque de jure exemptus dignoscebatur, Christus quidem ut verus filius regis Regum, Petrus vero veluti representans Ecclesiam sponsam Christi, et Ecclesiasticas personas, tamquam domesticus ejus, cum etiam in humana politia, non solum filii Regum, sed etiam eorum Domestici liberi sint a tributis. Et sic inferunt S. Hieronymus in *d. c. 17. Matthæi*; S. August. *l. 1. q. Evang. q. 23.* Maldonatus in *c. 17. Matth. vers. 25.* Pirhing. *loc. cit.* ubi post ipsum Maldonatum recte subjungit, id non esse extendendum ad omnes Christianos, qui etsi sint adoptione Filii Dei, et Christi nomen gerant, non tamen sunt Domestici ejus, ut ipsi Apostoli, et consequenter omnes Clerici in ipsis Apostolis representati. Ultra quam quod Christianos tributum solvere jubet Apostolus expresse ad Romanos *c. 13. vers. 7.* (79. Probatur insuper variis textibus Juris Canonici privilegium Fori Clericorum esse de Jure Divino. Et in primis ex *c. Continua* 5. *caus. 11. q. 1.* ubi refertur, quod in prima generali Synodo Nicæna ante emanatum, quodcumque aliud privilegium super exemptione Clericorum, ad quorumdam querelas contra clericos coram se depositas sic pronuntiaverit Constantinus Magnus: « Vos a nemine judicari potestis, qui ad Dei solius judicium reservamini. » *Id ipsum fusius habetur in c. Futuram* 15. *caus. 12. q. 1. ibi:* « Vos a nemine judicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini; dii etiam vocati estis, et idcirco non potestis ab hominibus judicari. » (80. *Concordat. c. Si Imperator* 11. *dist. 96. ibi:* « Non a legibus publicis, non a potestatibus sæculi, sed Pontificibus, et Sacerdotibus Omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos, et Sacerdotes voluit ordinari, et discuti, » hoc est judicari; ubi nota illa verba, *omnipotens Deus voluit, et illa ordinari, et discuti*, per quæ demonstratur, ordinationem et discussionem, seu Judicium Clericorum de Jure Divino pertinere ad solos Episcopos, et respective Judices Ecclesiasticos. Unde *Glossa* *ibid. vers. Et discuti*, sic notanter concludit: « Ergo antequam esset aliqua Constitutio, etiam Clerici non erant de Jurisdictione sæculari; unde omnes Constitutiones quæ emanarunt, quod Clerici non sint judicandi nisi ab Episcopis, non sunt nisi Juris declaratio. » (81. Et clarissime facit *cap. Silvester* 13. *causa 11. q. 1.* ubi Sanctus Gelasius Papa reprehendit graviter attentatum ejusdam Clerici ad sæculare judicium pertrahentis, ibi: « Et contra leges Divinas, et publicas, pulsatis Clericis, Forum suum putatis auferri, » ubi nota illa verba *contra leges divinas*. Quidenim clarius? (82. Similiter habetur in *cap. Nimis* 30 *de Jure Divino. ibi:* « Nimis de Jure Divino quidam laici usurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum fidelitatis juramenta compellunt. » (83. Et expresse demonstratur in *c. Quamquam* 4. *de cen-*

sibus in *c. ibi:* « Cum igitur Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum Jure humano, quin et divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunæ. » (84. Et multis aliis relatis Canoniciis textibus, id non obscure asserentibus, adducitur pro omnibus Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 20. de Reform.* ubi expresse contestatur, « Ecclesiæ, et personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, et canonicis constitutam. » Vide *infra num. 96. ad finem.*

(85. Clerici gaudent privilegio Canonis solum Jure Eccl. et positivo inducto. Fagnan in *c. Perpendimus* 23. *desent. Excom.* (86. Licet enim Conc. Triburiense *cap. 2 tom. 7. Conc. pag. 151. col. 2. in impress. Paris.* aliud innuere videatur per verba sequentia: « Si quis, ut diximus, ullum eorum quocumque Ordine consecratum cædit vulneribus, vel quibuscumque injuriis angustiaverit, etc. constringat protervum Episcopus auctoritate Canonica, ut idem Clerico, cui contra divinas et humanas leges contumelias ingessit justam, et debitam persolvat compensationem. » (87. Tamen indubitatum est apud omnes, privilegium Canonis inductum esse ex consuetudine Ecclesiæ, nempe ex decreto Innocentii II. edito in Conc. Later. II. *c. 13. relato in c. Si quis suadente Diabolo* 29. *caus. 17. q. 4.* ut patet supra *n. 1.* ubi diximus, hoc privilegium ideo dici *Canonis*, quia continetur in *Canone* 15. *Conc. Lat. secundi celebrati sub Innoe. II.* (88. Clerici omnes sive in Sacris, sive in Minoribus dimittentes Habitus Clericales, et Tonsuram ex sola vanitate, vel negligentia, non perdunt privilegium Canonis ante trinam monitionem; *c. In audientia* 25. *et c. contingit* 45. *de sent. excommunic.* et *Gloss. in c. Cum non ab homine* 14. *eod. tit. verb. Minime coercentur*; Hostiens. in *c. Perpendimus* 23. *eod. tit. in verb. Non propulsando*, et Fagnan. *ibid. n. 14.* (89. Perdunt autem statim ante monitionem privilegium Canonis, si ex iniquitate, et malitia Habitus Clericales, et Tonsuram dimittant; seu deposito Habitu, et Tonsura Clericali enormitibus se immisceant; *c. Cum non ab homine* 14. *de sentent. excommun. § in Articulo*, ibi: « Occisores Clericorum aut Presbyterorum, qui contempto Clericali Habitu tyrannidi, et enormitati se invectumde immisceant, in odium Clericalis excessus, et terrorem, atque correctionem similium, Canone latæ sententiæ minime coercentur; » *cap. Perpendimus* 23. *de sent. Excommun.* et ibi Joannes Andreas, Butrius, Card. Ancharan. Felin. et Fagnan. ipsos citans *num. 2.* (90. Privilegium tamen Fori de Jure communi non amittunt Clerici omnes, qui deposito Habitu, et Tonsura Clericali, enormitibus se immisceant, nisi ter moniti non desistant; *cap. Contingit* 45. *de sent. Excommunicat.* ibi: « Volumus et mandamus, ut tales, si tertio a te commoniti se ipsos contemperint emendare, illius efficiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, et Laicorum violentia

coercenda, dignoscitur instituta, et tenent Joannes Andreas in *d. c. Perpendimus num. 5.* Petrus de Ancharan. in *cap. 1. n. 2. vers. » Si vero reliquit, de Apostat.* ubi concludit, Clericum, qui demisso Habitu, et Tonsura sævis enormitibus se immisceat, ac perseverat, ac deprenditur in illis per Judicem sæcularem, non posse ab eo puniri, sed esse remittendum ad Judicem Ecclesiasticum, nisi monitio præcesserit; et sequitur Alexander in *con. 8. Videtur super primo num. 3. lib. 1.* dicens veriorum, et magis communem intellectum esse, quod *d. c. Perpendimus* locum habeat in privilegio Canonis, non autem in privilegio Fori, quod secundum eum non amittitur, nisi post trinam monitionem. Et secundum hoc consilium Alexand. millies, immo semper fuisse judicatum per Curiam, et Consilia Neapolitana attestatur Grammaticus *super Constitutionib. Regni Fol. 29. col. 1. vers. decimo utique*; et sequitur Fagnan. in *d. cap. Perpendimus n. 4. 5. et 17. et in c. Contingit* 45. *de sentent. Excommunic. num. 13. et 14. et in c. Cum non ab homine* 10. *de judiciis num. 26. et n. 106.* ubi refert hoc servari in Curia. Et hoc videtur de mente *Sacrae Congregat. Concilii*, quæ in Motulen. 1. *Februarii* 1620. decrevit ut infra: « Clericus, qui in Habitu, et Tonsura se immisceat enormitibus, et pluribus vicibus, censetur absque monitione renunciasset privilegio Clericali: secus si in Habitu Laicali hæc perpetrasset, quia tunc requiritur monitio; » sic refert ex Sello Barbosa *Apostolic. dec. collect. 157. n. 8. et in Trident. sess. 23. c. 6. de reform. n. 25.*

(91. Unde de Jure communi facilius perditur privilegium Canonis, quam privilegium Fori, cum privilegium Canonis amittatur statim ante monitionem a Clericis, qui deposito Habitu, et Tonsura se immisceant enormitibus, ex *cit. cap. Cum non ab homine* 14. *de sentent. excommun. et d. cap. Perpendimus* 23. *eod. tit.* ut patet *num. 85.* et privilegium Fori non amittatur a talibus Clericis nisi post trinam monitionem, ex *cit. cap. Contingit* 45. *de sent. excom.* et ut patet *n. 86.* Eo vel maxime, ut dicit Fagnan. in *d. cap. Perpendimus num. 9.* quia privilegium Canonis est solum de Jure Canonico, ut patet *num. 82.* et privilegium Fori est de Jure Divino, ut patet *num. 74.* (92. De Jure autem Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 6. de reformat.* Clerici Minoristæ perdunt hodie difficilius privilegium Canonis, quam privilegium Fori, (93. nam non perdunt privilegium Canonis per solam dimissionem Habitus, et Tonsuræ, nisi vel præcesserit trina monitio, ut ex *d. cap. Contingit* 45. *de sent. excomm.* vel sævis enormitibus se immisceverint, ut ex *d. cap. Cum non ab homine* 14. *de sentent. excommun. et de. c. Perpendimus* 23. *eod. tit.* (94. At privilegium Fori perdunt per solam dimissionem Habitus et Tonsuræ, vel servitii Ecclesiæ, licet non fuerint tertio moniti, ut ex *d. sess. 23. cap. 6. de reformat.* et ex *declarat. Sac. Congr. ejusdem Concilii* relat. a Fagnan. in *cap. Si*

quis, de Foro competent. num. 21. ut patet supra n. 34. Loquendo vere de Clericis in Sacris, cum per Tridentinum nihil de novo de ipsis disponatur quoad amissionem privilegii Fori per solam dimissionem Habitus, et Tonsuræ, etc., ut disponitur de Minoristis in *d. sess. 23. cap. 6. de reformat.* standum est dispositioni Juris communis, quod ipsi non amittant privilegium Fori, nisi ter mōniti non desistant ab enormitatibus, quibus se immiscent, Habitu, et Tonsura Clericali depositis ex *dict. cap. Contingit, de sentent. excommun.* ut patet supra num. 86. (95. Et consequenter quod facilius ipsi amittant privilegium Canonis, quam privilegium Fori, ut dictum est supra n. 87.

ADDITIONES AUCTORIS.

(96. Clerici in minoribus constituti non servantes præscripta Concilii Tridentini, non gaudent privilegio Fori in causis homicidii. Benedictus XIV. *tom. 1. Constit. 88. incip. Alias 5. 2.* (97. Atque etiam expleta poena eodem privilegio privati remanent, et habitum clericalem reassumere nequeunt. Idem *ibidem.* (98. Utrum præscripta a Concilio Tridentino servaverint, ab Ordinariis esse declarandum, non retardata assecuratione personæ. (99. Idem *ibid.* Simples vero tonsurati non beneficiati etiam servantes præscripta Concilii privantur privilegio Fori post duo homicidia. Idem *ibid.*

(100. Pro hujus doctrinæ coronide illud hic omittendum non est, quod animadvertit doctissimus æque ac piissimus Præsul Josephus Maria Maraviglia Episcopus Novariensis in suis *Legibus Prudentiæ Episcopalis* Beatissimo Patri Venerabili Innocentio XI. dicatis, et anno 1678. editis. Ille enim in *Lege 47. in qua defendit, Admittenda ab Episcopis Principum Privilegia a summis Pontificibus concessa*, ipsissimis hisce verbis utitur: « Commune populorum modum, quod in recto Principum regimine semper spectandum est, exigit plerumque, ut non modicis, sed amplis privilegiis a summis Pontificibus cumulentur Principes ipsi, cum nec ab eadem meta, quæ est mundanæ Reipublicæ salus ab iis, qui supremi moderatoris vices agunt in terris, nunquam fas sit aberrare; quæcunque enim temporanea populorum salus ita cum æterna animarum salute colligatur, ut hoc insolubile vinculum disrumpere nemini liceat; ac propterea non raro contingit, ut summi quoque Ecclesiæ Principes et Hierarchæ ad tuendas aliorum Principum Respublicas, easque in optimum finem perducendas privilegia quædam non solo dispensent arbitrio, sed aliqua ex causa rem justitiæ, vel æquitatis, vel remunerationis patrocinante. Ejusmodi igitur Principum privilegia in bonum commune ex instituto collimantia ab Episcopali prudentia, ne dum facile admittenda sunt, sed etiam toto conatu in usum revocanda, ut pote Ecclesiæ admodum faventia; licet enim videantur quandoque Ecclesiasticæ immunitati, aut libertati adversari, cum tamen, re vera in ipsis ad summum jus Ecclesiæ ex indulto

summorum Pontificum ad majora reparanda mala transferatur in laicam potestatem, sequitur aperte nihil juris Ecclesiæ lædi, aut violari per hujusmodi translationem; sed potius jus ipsum Ecclesiæ sustineri; cum omnia agant Principes ex hoc jure translato virtute privilegiorum, a quo etiam dicuntur accipere potestatem, etc. » Deinde aliam immediate. *Legem 48* sapientissimus Auctor subdit, in qua probans, « Permittenda ab Episcopis quædam Principum Judicia adversus Ecclesiasticos, » hæc præcisa verba scribit: « Plures enumerant Canonistæ casus, in quibus licet Episcopali prudentiæ permittere Principibus judicia adversus Ecclesiasticos, sine læsione Ecclesiasticæ libertatis, qui quidem, cum sint fere omnibus noti, non est hic operæ pretium eos recensere. Quo jure vero id agant Principes, et Judices Laici etiam in causa mortis, ex supra dictis statutum est; utuntur namque jure illo in ipsos ab Ecclesia translato, ne sceleribus, vel criminibus atrocibus ab Ecclesiasticis perpetratis, vel pereat Orbis, vel ipsa contaminetur Ecclesia, aut ab innato paulatim concidat innocentia candore. Præ cæteris Principibus ejusmodi Privilegiis ditata est a summis Pontificibus Serenissima Venetorum Respublica, quæ licet ex delictis atrocibus vel ex criminibus læsæ Majestatis sæpe animadvertat in Clericos, cum tamen ubique terrarum fulgeat pietatis ac Religionis obsequio, atque Ecclesiæ veneratione, id sane non ageret, nisi hoc jure per Pontificia Diplomata in ejus potestatem translato impune uti posset. Diplomata, quæ exstant in hac materia apud Venetos plura sunt. 1. Xisti IV. datum Romæ die 11. Junii 1474. anno tert. Pont. 2. item Xisti IV. datum Romæ die 30. Jun. 1474. anno tert. Pont. 3. Innoc. VIII datum Romæ 1487. anno quart. Pontif. 4. Alexandri VI. datum Romæ die 28. Junii anno decimo Pontif. 5. Pauli III. datum Romæ die 10. Octobris 1544. anno oct. Pontif. Quorum exempla manuscripta ipsemet vidi, et sub hac *Lege XLVIII.* recensentur ad verbum, ad tollendas mentis dubietates; novi enim quamplures supra ejusmodi Venetorum privilegia hæsitare, etc. Hanc doctrinam temporibus Ven. Innocent. tuebatur numquam satis laudatus Episcopus Maraviglia. Diplomata ab illo indicata, quæ brevitate gratia hic omittuntur, apud illum, si libuerit, videri poterunt per extensum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(101. De eo gravis inter Doctores quæstio est, an simplex Clericus, qui privilegium Fori amisit, eo quia non implevit, quod præscribit Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de Reform.* amisit simul alia Privilegia Clericis concessa?

(102. Negant Comitoli. *Respons. Moral. lib. 6. quæst. 20.* ubi assertit pro sua negativa sententia Epistolam Sacræ Congregationis Concilii interpretis, de *Marin. lib. 2. quotidian. Resol. cap. 42. num. 3.* ubi quod eadem Sac. Congregatio die 18. Septem. anni 1593. rescripsit: « Clericum prima Tonsura insignitum gaudere beneficio cap. Odoardus, quam-

vis ille habitum Clericatem et Tonsuram non deferat, nec in divinis inserviat. »

(103. Afirmat vero, et quidem de opinione Rotæ Cardinal. de Luca in *adnotat. ad Cone. Trid. discours. 24. num. 33. et sequent.* « Prorsus etenim improbable est (ait), ut denegari debeat illud privilegium Fori, quod concernit præjudicium totius Ordinis Clericalis, adeo ut neque volens possit Clericus illi renunciare, ac se laicali fori subicere retenta Clerici figura vel statu, adeo ut possit ita per Magistratum sæcularem furcis suspendi, atque in frusta scindi, seu ignominiose fustigari, aliisque subijci poenis Clericali statui omnino incongruis, et ut ea retinere debeat privilegia, quæ interesse privatum concernunt, et quibus sine aliquo Ordinis præjudicio renuntiare potest, ut est illud factionis testamenti, exemptionis ab usufructu legali cum similibus. Ac etiam est illud cap. Odoardus, quod etiam Clericis in Sacris vel ratione doli, vel ratione arctioris obligationis, et in plerisque aliis casibus denegari solet. » Assentiri videtur Cardinali de Luca in *Meliorat. ad de Marin. dict. lib. 2. dict. cap. 47. num. 14.* tum adduci pro Cardin. de Luca potest *Rota cor. Rojas dec. 473. n. 3.*

(104. In hoc opinionum conflictu Auctor *Notarum in Concordat. S. Sedem inter et Regem utriusque Siciliae cap. 3. art. 1. num. 35.* tenet, tunc amplecti posse affirmativam opinionem Cardinalis de Luca, quum trina præcessit monitio, et eam Clericus monitus, minime curavit (1).

ARTICULUS III.

Clericus quoad negotia sæcularia.

(1. Negotium sæculare accipitur tripliciter, scilicet large, stricte, et strictissime. *Fagnan. in cap. Cum multa 1. Ne Clerici, vel Monachi, num. 18. et seq.* (2. Negotium sæculare large acceptum est quidquid provenit ex carnali concupiscentia non subjecta fræno rationis. Colligitur ex *cap. Multa sunt negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi*; et dicitur Negotium sæculare, quia per illud vivitur omnino sæculariter, id est secundum sæculum, et mundum, seu carnem, non autem secundum Deum et Spiritum; et hæc etiam prohibentur Laicis, ut patet ex multis enumeratis in *cit. c. cum Multa*; sed specialiter prohibentur Clericis. (3. Negotium sæculare stricte acceptum comprehendit quidquid pertinet ad rempublicam mundanam, et sæculares homines; et hoc quamvis permissum sit Laicis, tamen Clericis est interdictum, ut *cap. Fornicari 10. dist. 88.* ibi: « Fornicari omnibus semper non licet: negotiari vero

(1) Definuit est, teste *Giraldus Expos. Jur. Pont. par. 2. sect. 93.* Clericos, qui tonsuram vestesque clericales abjecerunt, Fori tantum privilegia amittere, non vero reliqua. Ut autem hi Clerici fori amittant privilegium, monitione non indigent ulla. (*Edit. Casim.*)

(2) Rationes omnes, quibus Clerici, Sacris Canonibus Spiritu Dei conditis a negotiationibus exercendis jubentur abstinere, collegit, atque breviter, ac pulchre suo more proposuit D. Thomas 2. 2. q.

aliquando licet, antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, factum jam non licet: et l. *Placet, Cod. de Episc. et Cleric.* » ubi Clerici nihil commune habere dicuntur cum pluribus actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi (4. Unde Clerici vacare debent Reipublicæ spirituali; Laici vero Reipublicæ temporali; *ang. c. Duo sunt genera 1. q. 1. c. Conventior, et cap. Reprehensibile 23. q. 8. cap. Duo sunt, dist. 96. et cap. Solita, de major. et obed.* (5. Negotium sæculare strictissime acceptum sumitur pro exercitio mercatoris, seu negotiatoris, ut colligitur ex *cap. Quid est aliud 13. dist. 88.* ibi: « Quid est aliud negotium, nisi quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere? » et *c. Forus de verb. significat.* ibi: « Negotiatio in Commercii dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucentur. » Et talis negotiatio est Clericis prohibita, ut mox subjiciam.

(6. Clericis omnibus in Sacris constitutis, aut in Minoribus congruam sustentationem habentibus, sive ex beneficio Ecclesiastico, sive ex bonis patrimonialibus, est prohibitum negotiis sæcularibus sese immiscere, cupiditatis, et turpis lucri gratia; *cap. Consequens 2. cap. Episcopus 3. cap. Prælatum 4. cap. Negotiatorem 9. cap. Fornicari 30. cap. Ejiciens 11. dist. 88. cap. Clerici officia 15. de vita, et honest. Cleric. cap. Cum Multa negotia 1. Ne Clerici vel Monachi et cap. Secundum 6. tit. eod.* ubi sic expresse dicitur: « Secundum instituta Prædecessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotentur, » et sæpe alibi consimiliter repetitur interdicta Clericis negotiatio propter varias congruentes rationes (2). (7. Prima quia, ut scribit Apostolus 2. *ad Timot. cap. 2.* « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus; » cum negotia sæcularia homines retrahant a spiritualibus, et Divinis Officiis, quibus incumbere peculiare munus est Clericorum; *cap. Numquam dist. 5. de consecr. c. Clericus 3. dist. 91.* ibi: *Absque Officii sui detrimento c. Ex litteris 16. de vita, et honestate Cleric.* ibi: *Potius sæcularibus negotiationibus, quam Officiis Divinis intendunt.* (8. Secunda, quia Clerici sunt ex illo genere Christianorum, quod mancipatur Divino Officio, et deditum contemplationi, et Oratori, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut expresse habetur in *cap. Duo sunt genera 12. quæst. 1.* (9. Tertia, quia Clerici non sunt de corpore Reipublicæ sæcularibus, sed Ecclesiasticæ; *leg. Placuit Cod. de Episc. et Cleric. et cap. Fornicari 10. dist. 88.* (10. Quarta, quia negotiatio, ut

77. Art. 4. ad 3. quas apud ipsum legere minime pigeat. Ubi et quam maxime advertenda est Doctrina D. Thomæ, quæ non leviter conducit ad plures casuum nodos extricandos; quæ hunc in modum se se habet: *Dicendum, quod non quicumque carius vendit aliquid, quam emitur, negotiatur; sed qui ad hoc emittit, ut carius vendat. Si autem emittit, rem non ut vendat, sed ut teneat, et postmodum propter aliquam causam vendere velit, non est negotiatio, quamvis carius vendat.* *Ibid. ad 2 (Edit. Neap.)*